Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26450
Copyright: Admont, Benediktinerstift

16

Omni carentem cerneret substantia
Vyetus precanti solus in lacimis fuit
Nam flendo pernox irrigatum pulverem
Humi madentis ore pressit cernuo.
Donec loquutis voce perstrictus dei.
Expavit ignem non ferendum visibus
Iohannes huius artis haut minus potens
Dei perennis precucurrit filium
Curvos viarum qui retorsit tramites.
Et flexuosa corrigens dispendia.
Dedit sequendam calle recto lineam.
Hanc sequelam [vel obviam] preparabat nuntius
Mox affuturo construens iter deo.
Clivosa planis. confragosa [ardua vel aspera] ut levibus.
Converterentur. neve quicquam devium
Inlapsa terris inveniret veritas
Non usitatis ortus [natus] hic natalibus
Oblita lacti iam vieto [maturo antiquo vetulo] in pectore
Matris tetendit serus infans ubera
Nec ante partum de senili effusus est.
Quam predicaret [nuntiaret] virginem plenam deo
Post in patentes ille solitudines
Amictus hyrtis bestiarum pellibus
Setisve tectus hispida et lanugine
Secessit. horrens inquinari ac pollui